



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

I. De decimis reddendis, paupere alendo, & eleemosyna e regiis praediis  
annuatim eroganda. LI. Sax. in prooemio. Iorn. cap. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

ANNO  
 CHRISTI  
 928.

CONCILIVM GRATELEANVM,  
 AB ATHELSTANO REGE ANGLORVM  
 habitum, circa annum Domini DCCCCXXVIII.

*In quo leges plurimæ, cum ciuiles tum ecclesiasticæ, statuuntur:  
 prætermittis vero illis, collector has concinnauit.*

TITVLI CAPITVLORVM.

- |   |  |
|---|--|
| I. <i>De decimis reddendis, paupere alendo, &amp; elemosyna e regiis prædiis annuatim eroganda.</i> Ll. Sax. in procemio. Iorn. cap. 1. | bus. Ll. Sax. cap. 23. Iorn. cap. 30.  |
| II. <i>De irruptione in ecclesiam.</i> Ll. Sax. cap. 5. Iorn. cap. 10.  | VI. <i>De rerum emptione in die dominica.</i> Ll. Sax. cap. 24. Iorn. cap. 32. |
| III. <i>De sagis.</i> Ll. Sax. cap. 6. Iorn. cap. 11.   | VII. <i>De peierantibus.</i> Ll. Sax. cap. 25. Iorn. cap. 34.                  |
| IV. <i>De monetariis.</i> Ll. Sax. cap. 14. Iorn. cap. 20.  | VIII. <i>De his leges non exequentibus.</i> Ll. Sax. cap. 26. Iorn. c. 33.     |
| V. <i>De ordalio se sistere spondenti-</i>  | IX. <i>De legum latoribus &amp; loco.</i> Ll. Sax. cap. vlt. Iorn. cap. 35.    |

CAPITVLA.

I.

**E**GO Æthelstanus rex, ex prudenti Vlfhelmæ archie-  
 piscopi aliorumque episcoporum meorum consilio,  
 summopere iis omnibus qui in ditione nostra sunt præfe-  
 ctis per sacrosancta Dei omniumque sanctorum numina,  
 & pro mea in eos beneuolentia, mando & præcipio, vt  
 præ ceteris iustas ex meo ipsius proprio, ac debitas pen-  
 dant tam viuorum animalium, quam annuorum terræ  
 prouentuum, decimas: id quod singuli episcopi, senato-  
 res, præpositi præterea nostri faciunt. Episcopi autem, &  
 præpositi nostri omnes qui sedent in alios iudices, sub ea-  
 dem formula iudicia exercent, atque hæc omnia ad eum  
 quem in hoc condiximus diem ( festum scilicet Ioannis  
 Baptistæ capite truncati anniuersarium ) conficiunt.

Porro autem nobiscum cogitemus, atque animo dili-  
 genter expendamus, quod Deo dixerit pater excelsus Ia-  
 cob: *Decimas meas & hostiam pacificam offeram tibi:* & quod Gen. 28.  
 Dominus in euangelio fatus est: *Omni dabitur habenti,* & Matth. 25.



*is abundabit.* Recolamus præterea quæ in hoc ipso minaciter scripta sunt libro: *Si decumas dare noluerimus, sola nobis remanente decima, nouem detrahentur partes.* Sermone etiam admonemur diuino terrenis cælestia, & caducis his nostris æterna illa promereri. Quandoquidem igitur audistis quid Dominus iubeat, quidque nos exequi debeamus, ea mihi vos tantummodo comparetis velim, quæ iuste ac legitime parare possitis. Neque enim mihi ad vitæ vsum quidquam iniuste acquiri cupiuerim. Etenim cum ea ego vobis lege vestra omnia benigne largitus sim, vt mea mihi vos itidem concedatis prospicitote sedulo, ne quis vestrum, neve eorum aliquis qui vobis paruerit, offensionem aut diuinam aut nostram concitetis.

Rex iusta tantum a subditis poscit.

Præpositi singuli singulos alant pauperes.

Ego Æthelstanus rex clare omnibus qui in ditione nostra sunt præpositis significo, me ex Vlfhelmæ archiepiscopi aliorumque episcoporum & seruorum Dei consilio, ad expianda peccata mea statuiffe, vt præfectorum quisque Anglum vnum (si quidem eiusmodi quis inter eos fuerit) cibo sustentet, si non fuerit, aliunde quæsito ad hunc modum victum subministret. Ex binis singulis villis meis quæque dantor mense, amphora farinæ vna, porci perna vna, aut quatuor denariis æstimandus aries, atque in singulos annos operimenta corporis. Libertate insuper mulctatum vnum aliquem pristina restituumto libertati. Atque hæc omnia pro Dei in nos omnes misericordia, nostraque in eos beneuolentia, præsentem illius regionis episcopo funto. Quin si præpositorum quisquam hoc sciens prætermiserit, triginta mulctator solidis, eaque inter opidi illius, in quo fuerit hoc prætermisum, egentes præsentem episcopo mulcta distribuitor.

Et seruum liberent.

## II.

Si quis ipsa triplicis ordalii sententia in fanum irrupisse conuincatur, is, prout in libro habetur iudiciali, compensato.

## III.

Sagæ, mulieres barbara factitantes sacrificia, aut pestiferæ, si cui mortem intulerint, neque id inficiari poterint, capitis pœna esto. Sin omni se criminis suspitione liberare conantes, ipsa triplicis ordalii sententia in reas referantur, 120. dies in carcerem coniciuntor: quibus peractis,